

in oppidum Liptzk personaliter declinavit^{b)}, ubi ultra integrum mensem continue perseverans devoto quodam atque efficaci placidoque exhortationis genere evangelicam atque apostolicam dissereret veritatem, nunc arguendo, nunc obsecrando, nunc increpando, iam etiam blando, iam rigido, iam compunctivo semper omnibus grato, numquam infructuoso
 5 hortatu, nonnulla theologice veritatis abdita reserando, quasdam etiam christiane conversationis regulas iuxta sacrorum canonum instituta limpidius declarando, sana doctrina, sobrio sermone concionatus est ad utriusque status populum attentione devotissima suspensum et ad sui exhortationem non mediocriter emendatum. Nam huiusmodi suis exhortationibus allecti infra breve tempus ex nobis plus quam septuaginta scholares et
 10 magistri, postpositis huius mundi phaleramentis, sue religionis habitum assumpserunt. Commune etiam vulgus suis admonitionibus compunctum multas ludorum hactenus consuetorum levitates, multas etiam solatiorum obscoenitates protinus prostergavit. Nec mirum, quoniam bone vite exemplaritas et iucunde elocutionis celebritas que in ipso secundum omnium estimationem splendide viguerunt facilius et efficacius iuxta psalmistam voci sue
 15 vocem dedere virtutis. Hac itaque gratia duplici insuper et miraculorum gloria, de quibus fama pervulgata est et multi apud nos asserunt experientiam se habere, idem religiosissimus pater copioso dei munere preditus existimatione plurimorum sanctitatis titulo insigniri meruit adhuc vivens, et ideo miris eum laudibus etiam ad sidera sustulerunt nec modo dubitant ipsum pro suis tam strenuis laboribus et tante sollicitudinis opera superne
 20 beatitudinis bravium meruisse. Hec itaque nostra et aliorum testimonia, beatissime pater, sanctitas vestra ponderet et examinet diligenter et ut iustus et unicus paterfamilias in domo militantis ecclesie penset et iudicet, quid et quantum mercedis tribuendum sit, sic tam inelyto operario, qui in vinea domini Sabaoth tanto tempore tam operose, tam fructuose et fideliter pro diurno denario laboravit, ut sic ei quod suum est secundum
 25 legem iustitie tribuatur. Et dominus Iesus deus noster vestram dignetur sanctitatem in statu prospero et tranquillo et longo tempore feliciter conservare. Datum in oppido Liptzk anno domini MDCCCCLXII in crastino sancti Bartholomei, rectoratus sub sigillo.

Vestre sanctitatis devotissimi oratores rector, magistri et doctores alme universitatis studii Liptzk Merseburgensis diocesis.

30

125.

Notariatsinstrument über die Recognition und Publication des Testaments Dr. Caspar Weygels, Professors der Theologie und weiland Archidiaconus zu Breslau. 1462 Aug. 25.

Hdschr.: Stadtbibliothek Leipzig Cod. mscpt. Rep. II, 10^a fol. 184^b.

In nomine domini. Amen. Sub anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, indictione decima, pontificatus sanctissimi in Christo patris et
 35 domini nostri domini Pii divina providentia pape secundi anno eius quarto, Mercurii die,

124. b) Capistran kam am 24. Oktober 1452 nach Leipzig. s. F. Weber, des Franziskaners J. von Capistrano Mission unter den Hussiden (Leipzig 1867) 62.